

DE PARTICIPATIONE INTELLECTUALITATIS PURÆ IN HOMINE SECUNDUM DOCTRINAM DIVI THOMAE AQUINATIS.

Dr Petrus Čiklić

Fontes

S. Thomae Aquinatis Opera omnia.

Commentaria

Caietanus Th. De Vio, O. P., *Commentaria in Summam Theologicam*, in edit. Leon. operum S. Thomae, t. IV—XII.

Idem, — *Commentaria in opusc. De Ente et Essentia*, edit. P. M. De Maria, S. J., Romae, 1907.

Ferrariensis Franciscus de Sylvester, O. P., *Commentaria in Summam contra Gentiles*, in edit. Leon. operum S. Thomae, t. XIII—XV.

Zigliara Th. Maria, *Annotationes in Commentaria in Arist. II. Peri Hermeneias et Post. Analyticorum*, in edit. Leon. operum S. Thomae, t. I.

Litteratura

Adamczyk dr S., *De obiecto formalis intellectus nostri secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis*, Romae, Apud Aedes Pont. Univ. Gregorianae, 1933.

Alibert C., p. S. S., *La psychologie thomiste et les théories modernes*, Paris, G. Beauchesne, 1903.

Baumgartner M., *Zur thomistischen Lehre von den ersten Prinzipien der Erkenntnis*, (Festschrift für G. F. von Hertling), Freiburg i. B. Herder, 1913, p. 1—16.

Baille L., S. J., *Genèse des premiers principes*, in »Revue de philosophie«, 1906, VIII, p. 166—179.

Bernard R., O. P., *Proprium rationis est discurrere*, in »Xenia Thomistica«, Romae, 1925, vol. I, p. 147—157.

Bošković dr H., O. P., *Problem spoznaje*, Zagreb, »Duhovni Život«, 1931.

Boyer C., S. J., *Cursus Philosophiae*, Parisiis, Desclée, 1937, vol. I et II.

Choyet F., *Les principes premiers, leur origine et leur valeur objective*, in »Revue de Philosophie«, 1909, XIV, p. 249—263.

Descoqs P., S. J., *Institutiones metaphysicae generalis*. — *Éléments d'ontologie*, tom. I, *Introductio et metaphysica de ente in communi*, Paris, G. Beauchesne, 1925.

De Tonquédec J., *La critique de la connaissance*, ed 2, Paris, G. Beauchesne, 1929.

Durantel J., *Le retour à Dieu par l'intelligence et la volonté dans la philosophie de S. Thomas*, Paris, F. Alcan, 1918.

Farges A., *La crise de la certitude. — Étude de bases de la connaissance et de la croyance avec la critique du neo-kantisme, du pragmatisme, du newmanisme, etc.*, ed. 2, Paris, Berche et Tralin, 1908.

Fontana P. E., *Utrum intellectus sit aliqua potentia animae et utrum ratio sit alia potentia ab intellectu?*, in »L'Accademia Romana di S. Tommaso d'Aquino«, vol. III, Roma, 1883.

- Garrigou-Lagrange R., O. P., *Le Sens Commun, la Philosophie de l'être et les formules dogmatiques*, ed. 3, Paris, Desclé de Brouwer, 1922.
- Idem, — *Dieu, son Existence et sa Nature*, ed. 6, Paris, G. Beauchesne, 1933.
- Geny, P., S. J., *Critica de cognitionis humanae valore disquisitio*, Romae, Apud Aedes Pont. Univ. Gregorianae, 1927.
- Gilson E., *Le thomisme. Introduction au système de saint Thomas d'Aquin*, ed. 3, Paris, J. Vrin, 1927.
- Grim K., S. J., *Indukcija. Prikaz njezinih problema*, Zagreb, Knjižnica Života, 1941.
- Hoennen P., S. J., *De origine primorum principiorum scientiae*, in »*Gregorianum*«, anno XIV, 1933, vol. XIV, fasc. 2, p. 153—184.
- Joannes a S. Thoma, O. P., *Curcus philosophicus thomisticus secundum exactam, veram, genuinam Aristotelis et Doctoris Angelici mentem, nova editio* a P. B. Reiser, O. S. B. exarata, Taurini, Marietti, 1930 vol. I, 1933 vol. II, 1937 vol. III.
- Jolivet R., *L'intuition intellectuelle et le problème de la métaphysique*, Paris, G. Beauchesne, 1934.
- Lanna D., *La teoria della conoscenza in S. Tomaso d'Aquino*, Firenze, Lib. Edit. Fiorentina, 1913.
- Liberatore M., S. J., *Dell'Anima umana*, ed. 2, Roma, A. Befani, 1875.
- Idem, — *Della conoscenza intellettuale*, vol. I et II, ed. 3, Napoli, F. Giannini, 1879.
- Idem, — *Del composto umano*, ed. 3, Napoli, F. Giannini, 1880.
- Le Röhellec J., C. S. Sp., *Problèmes Philosophiques: La connaissance humaine; Les fondements de la morale*, Paris, P. Téqui, 1933.
- Marc A., S. J., *L'idée de l'être chez Saint Thomas et dans la scolastique postérieure*, Paris, G. Beauchesne, 1933, (Archives de Phil., vol. X. cah. I.)
- Maréchal J., S. J., *Le point de départ de la métaphysique. Leçons sur le développement historique et théologique du problème de la connaissance*, cahier I; *De l'antiquité à la fin du moyen age: — La critique ancienne de la connaissance*, ed. 2, Louvain, Museum Lessianum, Paris, F. Alcan, 1927.
- Idem, — *Le point de départ de la métaphysique*, Chaier V: *Le thomisme devant la philosophie critique*, Louvain—Paris, 1926.
- Idem, — *De la forme du jugement d'après S. Thomas*, in »*Rivista di filosofia neoscolastica*«, 1923, XV, p. 156—185.
- Maritain J., *Réflexions sur l'intelligence et sur sa vie propre*, Paris, Desclée de Brouwer, 1930.
- Idem, — *Sept Leçons sur l'être et les premiers principes de la raison speculative*, Paris, P. Téqui, 1932—1933.
- Idem, — *Distinguer pour unir, ou Les degrés du savoir*, ed. 2, Paris, Desclée de Brouwer, 1934.
- Masnovo A., *Problemi di metafisica e di criteriologia*, Milano, Soc. Edit. »Vita e Pensiero«, 1930.
- Mattiussi G., S. J., *De intellectus nobilitate ad mentem S. Thomae*, in »*Xenia Thomistica*«, Romae, 1925, vol. I, p. 267—283.
- Mercier D. J., Card., *Cours de philosophie*, vol. III, Psychologie t. II, ed. 11, vol. IV, *Critériologie générale*, ed 8, Louvain, Inst. Super. de Philosophie, Paris, F. Alcan, 1923.
- Meyer Hans, *Die Wissenschaftslehre des Thomas von Aquin*, Fulda, 1934.
- Noél L., *Notes d'épistémologie thomiste*, Louvain, F. Alcan, 1925.
- Peghaire J., C. S. Sp., *Intellectus et Ratio selon S. Thomas d'Aquin*, Paris—Ottava, J. Vrin, 1936.
- Picard G., S. J., *Réflexion sur le problème critique fondamentale*, Paris, G. Beauchesne, 1937. (Arch. de Phil., vol. XIII, cah. 1.)

- Roland-Gosselin M. D., O. P., *Essai d'une étude critique de la connaissance. Introduction et première partie*, Paris, J. Vrin, 1932.
- Idem, — *Peut-on parler d'intuition intellectuelle dans la philosophie thomiste?*, in »Philosophia perennis« (Festgabe Josef Geyser zum 60 Geburtstag, Regensburg, 1930, Band II, p. 709—730).
- Romeyer B., *Saint Thomas et notre connaissance de l'esprit humain*, ed. 2, Paris, G. Beauchesne, 1932. (Arch. de Phil., vol. VI, cah. II.)
- Rousselot P., S. J., *L'intellectualisme de S. Thomas*, ed. 2, Paris, G. Beauchesne, 1924.
- Sertillanges A. D., *S. Thomas d'Aquin*, tom. I et II, Paris, F. Alcan, 1925 (ed. 4).
- Simonin H. D., O. P., *Immaterialité et intellection*, in »Angelicum«, vol. VII, 1930, p. 460—486.
- Sanc F., S. J., *Stvoritelj svijeta*, Sarajevo, »Nova Tiskara« Vrček, 1935.
- Zamboni G., *La gnoseologia di S. Tommaso d'Aquino*, Verona, 1934.
- Zigliara Th. M., Card., O. P., *Della luce intellettuale e dell'ontologismo secondo la doctrina de'santi Agostino, Bonaventura e Tommaso di Aquino*, vol. I et II, Roma, F. Chiapparini, 1874.
- Zimmermann S., *Opća noetika*, ed. 2, Beograd, Državna Štampa-rija, 1926.
- Idem, — *Temelji filozofije*, Zagreb, Matica Hrvatska, 1934.
- Idem, — *Filozofija i religija*, Zagreb, Zbor Duh. Mladeži Zagrebačke, vol. I, 1936, vol. II, 1937.

Prooemium

De participatione intellectualitatis purae seu de intellectu puro in homine iuxta Angelici Doctoris doctrinam disserere habemus in animo, cum ob desiderium quam melius intelligere dignitatem personae humanae, quae hac participatione naturam suam propriam quodammodo transcendent et in ordine creaturarum pure intellectualium ponitur, tum propter maximum momentum huius problematis: — ab hoc enim »intellectu« humano tota cognitio nostra scientifica dependet. Ex alia autem parte temporibus hodiernis varii philosophi, cum Scholastici, tum Non-Scholastici (praesertim vero H. Bergson), multa scripserunt de problemate intuitionis in homine, quod problema arctissime coniunctum est cum nostro problemate: in tantum enim homo proprie intuitive cognoscit, in quantum de intellectualitate pura participat!

Doctrina vero S. Thomae de »intellectu« humano et de eius cognitione in omnibus eius operibus sparsa invenitur. Nostri ideo studii erit textus ad hoc problema pertinentes colligere atque in synthesim redigere. In citationibus autem operum S. Doctoris ordinem chronologicum non servabimus, quia circa hoc problema, ut nobis videtur, apud Angelicum nulla mentis evolutio existit: iam enim in suis primis commentariis

in Sententias Petri Lombardi doctrinam de hoc problemate definitivam habet.

Quamvis exstant nonnulla scripta, quae problema nostrum aliquo modo tangunt, nullus tamen invenitur liber, qui ex professo de hac quaestione tractet. Unde momentum, nec non difficultates huius laboris.

Forsitan hic modicus labor noster faciet aliquid ad meliorem intellectionem mirabilis doctrinae Aquinatis, »che riassume il passato e indirizza l'avenire.*

*
* *

»*Signatum est super nos lumen
vultus tui, Domine.*«

(Psal. 4, 7)

Homo »secundum intellectum divinam similitudinem participat*.¹ Intellectus enim eius est »nobilissimus omnium et divinus secundum naturam«²; »est optimum eorum quae sunt in homine, qui quidem est immortalis et divinus. Quamvis enim hoc optimum sit parvum mole, quia est incorporeum et simplissimum, et per consequens caret magnitudine molis, tamen quantitate virtutis et pretiositatis multum excedit omnia quae in homine sunt. — Virtute quidem excedit in suis operationibus, quibus superioribus coniungitur, et inferioribus principatur, et sic quodammodo omnia complectitur; pretiositate autem quantum ad dignitatem suae naturae, quia intellectus est immaterialis et simplex, incorruptibilis et impassibilis. Unumquodque autem, idest totus homo videtur esse hoc, scilicet intellectus, si ita est, immo quia ita est, quod intellectus est principalius et melius, quod sit in homine.«³

Intellectus enim »est ultima perfectio intenta in operatione naturae*.⁴ »Cuiuslibet enim naturae est aliquod ultimum assignare, in quo eius ultima perfectio consistit: hominis autem, inquantum homo, perfectio non consistit, nisi in actu intellectus, ex quo habet quod homo sit.«⁵ Et secundum hanc ultimam per-

* A. Masnovo. Problemi di metafisica e di criteriologia, Milano, 1930, p. 3.

¹ In X Ethic., lec. 11, n. 2106.

² In I de Anima, lec. 12, n. 188.

³ In X Ethic., lec. 11, nn. 2107 et 2108.

⁴ In II de Anima, lec. 6, n. 301.

⁵ De verit., q. 18, a. 1.

fectionem »aliquid divinum in ipso (homine) exsist.«⁶ Ita enim »... in luce Primae Veritatis omnia intelligimus et iudicamus, in quantum ipsum lumen intellectus nostri, sive naturale sive gratuitum, nihil aliud est quam quaedam impressio Veritatis Primae.«⁷

In quantum homo aliquid de luce Primae Veritatis participat in tantum est »aliquid supra hominem: quia in intellectus simplici visione continuatur homo superioribus substantiis, quae intelligentiae, vel angeli dicuntur.«⁸

Secundum intellectum, ergo, homo Deo appropinquatur, non tantum in ordine logico seu cognitionis, sed etiam in ordine ontologico participando aliquid »divinum«.

*

De hoc divino et nobilissimo in homine, de hac »scintilla« Intellectus divini in nobis,⁹ secundum quam homo divinam similitudinem participat, in hac dissertatione nobis agendum est. Non ergo agemus ex professo de ratione humana, quae »intellectus obumbratus« et »umbra intelligentiae« dicitur, sed de intellectu in sensu stricto, quem homo participat et in quantum rationi opponitur.

Imprimis de intellectu in genere et de eius distinctione a ratione aliquid dicemus; dein de participatione »intellectus principiorum in homine fusius loquemur; postea de cognitione »intellectiva« primorum principiorum in homine tractabimus; tandem de infallibilitate »intellectus principiorum«, quae est fundamentum firmissimum et principium omnis scientiae, sermonem instituemus; in fine autem »intellectus« humanus cum angelico et divino comparabitur.

I. De INTELLECTU IN GENERE.

Antequam incipiamus loqui de »intellectu« humano, seu de »intellectu principiorum«, dicemus aliquid breviter in hoc

⁶ In X Ethic., lec. 11, n. 2106.

⁷ I q. 88, a. 3, ad 1.

⁸ In III Sent., D. 35, q. 1, a. 2, sol. 2, ad 1.

⁹ In II Sent., D. 39, 3, a. 1. — »Nihil autem nobilius et perfectius in creaturis invenitur quam intelligere; cuius signum est quod inter ceteras creaturas, intellectuales substantiae sunt nobiliores, et secundum intellectum ad Dei imaginem factae dicuntur.« — De poten., q. 9, a. 5.

capite de intellectu ut sic, seu de intellectu puro et de eius distinctione a ratione; aliter enim impossibile esset in hac re cum perspicuitate procedere.

1. De intellectu.

Vox »intellectus«¹⁰ (*νοῦς*, Intellect, Intelletto, Verstand, um) etymologiam suam, secundum philologos recentes, dicit a verbis latinis »inter« et »legere« (lire au travers, čitati između ili kroz).¹¹

Hanc etymologiam philologorum recentium S. Thomas non cognoscebat, sed utebatur etymologia veterum, quae forsan melius ostendit indolem intuitivam intellectus. Ipse enim constanter multis in locis etymon vocis »intellectus« a verbis »intus« et »legere« deducit. In natura enim intellectus est, ut ad intima rerum penetret, et neglegendo ea, quae quasi essentias rerum circumstant, scilicet accidentia, ipsas essentias, seu quod quid est rerum, quodammodo intus legit. Munus enim sensuum est, ut exteriora rerum accidentia cognoscant, intellectus autem, ut quidditates rerum intuitive videat.

Sed audiamus ipsum Doctorem Angelicum, qui in variis locis de hac intellectus etymologia loquitur: »Respondeo dicendum, quod nomen intellectus sumitur ex hoc quod intima rei cognoscit; est enim intelligere¹² quasi intus legere: sensus enim et imaginatio sola exteriora accidentia cognoscunt; solus autem intellectus ad essentiam rei pertingit.«¹³ Angelus e. g., vel etiam homo, ideo intellegere dicitur, »quod interius in ipsa rei essentia veritatem quodammodo legit.«¹⁴ Et ita intellectus nomen sumitur ab intima penetratione veritatis¹⁵ seu »ex eo quod intus legit intuedo essentiam rei.«¹⁶

¹⁰ »... hoc nomen intellectus quandoque significat rem intellectam, sicut nomina dicuntur significare intellectus; quandoque vero ipsam intellectivam potentiam; quandoque vero habitum quemdam; quandoque vero actum. De verit., q. 17, a. 1; — cf. etiam In II Sent., D. 24, q. 1, a. 1. — Statim cuique legenti patebit nos in hoc articulo de ipsa intellectiva potentia loqui.

¹¹ Cf. E. Blanc, *Dictionnaire de philosophie*, Paris, 1906, sub voce: »Intellectus«.

¹² »Si enim definiamus intellectum, definietur per suum actum, qui est intelligere. — In I Sent., D. 3, q. 4, a. 3.

¹³ De verit., q. 1, a. 12.

¹⁴ Ibidem, q. 15, a. 1.

¹⁵ II—II, q. 49, a. 5, ad 3.

¹⁶ In VI Ethic., lec. 5, n. 1179.

Cognitio igitur intellectus non est exterior et superficialis sicuti sensuum; intellectus enim usque ad intima rei pertingit¹⁷ et intus quod quid est rei quodammodo legit: »Respondeo dicendum quod nomen intellectus quamdam intimam cognitionem importat; dicitur enim intelligere, quasi intus legere. Et hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus et sensus: nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei. Obiectum enim intellectus est quod quid est, ut dicitur. Sunt autem multa genera eorum quae interius latent, ad quae oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare.« Et nunc S. Doctor enumerat talia quae interius latent, ut v. g. naturam rei substantialem, quae latet sub accidentibus, causam, quae latet in effectibus et huiusmodi, et concludit: »Unde respectu horum omnium potest dici intellectus« et »... quanto lumen intellectus est fortius, tanto potest magis ad intima penetrare«.¹⁸ Nota ergo characteristica intellectus est »penetratio ad intima et intus lectio« et ideo »intellectus nominat quamdam excellentiam cognitionis penetrantis ad intima«.¹⁹

Ita ergo iam secundum suum nomen intellectus importat »cognitionem pertingentem ad intimam rei«, id est cognitionem intimam et intuitivam.²⁰

Intellectus ulterius »simplicem et absolutam cognitionem designare videtur«.²¹ Intellectus enim non cognoscit discurrendo, sed immediate intuendo simplici intuitu veritatem videt. Et ideo angeli, qui intellectuales substantiae dicuntur, sine motu et sine discursu »simplici acceptione« cognitionem veritatis obtinent.²² Angelus enim intellectum purum habet et propter hoc cognitio naturae sua debita est »ut simpliciter et sine inquisitione veritatem apprehendat: propter quod intellectualis natura nominatur«.²³ Actus enim cognoscitivus intellectus omnem compositionem et complexitatem respuit et veritatem »simplici intuitu videt«.²⁴

¹⁷ Cf. In III Sent., D. 35, q. 2, a. 1.

¹⁸ II-II, q. 8, a. 1.

¹⁹ Ibidem, ad 3.

²⁰ Cf. In III Sent., D. 35, q. 2, a. 2, sol. 1; In IV Sent., D. 49, q. 3, a. 5, sol. 1 et ad 2.

²¹ De verit., q. 15, a. 1.

²² De verit., q. 15, a. 1.

²³ In II Sent., D. 39, q. 3, a. 1.

²⁴ Ibidem, D. 9, q. 1, a. 8, ad 1.

Intellectus autem ita simpliciter intuendo veritatem, cognoscit eam »statim« id est totaliter independenter ab omni tempore et continuo.³³ Et ideo ipsum intelligere angeli, qui »intellectus per se existens« dicitur,³⁴ neque per se, neque etiam per accidens sub tempore cadit.³⁵ Intellectus ergo importat »subitam apprehensionem alicuius rei«, et ideo etiam in nobis »intellectus proprie est principiorum, quae statim cognitioni se offerunt«.³⁶ Propter hoc etiam angeli intellectuales dicuntur, quod »statim in illis quae primo naturaliter cognoscunt, inspicunt omnia quaecumque in eis cognosci possunt«.

Intellectus ergo sine tempore — quia non inquirit, sed simpliciter intuendo »intus legit« — veritatem cognoscit.

Ex his etiam sequitur cognitionem intellectualem esse immobilem. Intellectus enim non discurrit ab effectibus in causas seu ex una veritate in aliam, id est non movetur ex cognita in incognitam veritatem, sed immobiliter, simplici intuitu veritatem intuetur. In intelligendo enim non est motus, neque in sensu logico, neque in sensu psychologico, sed maxima immobilitas, quies, intuitio.³⁷ Ita v. g. angeli »sine aliquo motu vel discursu, statim, in prima et subita sive simplici acceptione cognitionem veritatis obtinent«.³⁸

Intellectus ergo in cognitione veritatis omnino immobiliter, sine discursu et inquisitione, sine tempore et sine continuo se habet, id est statim, immediate, simplici intuitu veritatem videt.

Intellectus autem ita breviter descriptus tantummodo in angelis invenitur (loquimur enim hic de intellectu creato, et clarum est haec omnia a fortiori valere pro intellectu increato), qui secundum totam suam naturam intellectuales sunt,³⁹ et ideo simpliciter »Intellectus« seu »Mentes« nominantur: in eis

³³ Cf. In III Sent., D. 35, q. 2, a. 2, sol. 1; Ibidem, D. 14, q. 1, a. 3, sol. 2; II C. Gent. c. 96.

³⁴ II C. Gent., c. 96.

³⁵ De verit., q. 8, a. 14, ad 12: »Unde patet, quod ipsum intelligere angeli neque per se neque per accidens cadit sub tempore; unde in una eius operatione qua intelligit unum intelligibile, non est prius et posterius; sed hoc non prohibet quin plures operationes possint esse ordinatae secundum prius et posterius«.

³⁶ In II Sent., D. 24, q. 3, a. 3, ad 2.

³⁷ Cf. III, C. Gent., c. 91; De verit., q. 2, a. 2, ad 2; I, q. 64, a. 2.

³⁸ De verit., q. 15, a. 1.

³⁹ De malo, q. 16, a. 1, ad 14.

enim non invenitur alia virtus nisi intellectiva et »voluntas, quae ad intellectum consequitur«.⁴¹ Intellectus igitur nihil aliud est, nisi facultas quaedam absolute independens a materia,⁴² tam in esse quam in agere, quae obiectum suum cognoscit statim, subito, simplici intuitu, in plena luce,⁴³ immediate, deiformiter,⁴⁴ sine motu et sine inquisitione.

Sed natura intellectus adhuc melius nobis apparebit ex eius comparatione cum ratione humana.

2. Distinctio inter intellectum et rationem.

Ad doctrinam S. Thomae de intellectu melius intelligendam, considerabimus in hoc articulo distinctionem quae inter intellectum et rationem existit. Haec enim distinctio magni momenti est in philosophia S. Doctoris,¹ et qui eam, studendo Thomae, semper pree oculis non habeat, nunquam systema thomisticum totaliter intelligere poterit.

Statim autem notamus, quod multa sunt loca in operibus Aquinatis, ubi S. Doctor promiscue adhibet verbum intellectus pro ratione et viceversa, sed semper ex ipso contextu facile intelligitur de quoniam loquitur; et ideo hoc nobis nullam difficultatem parabit, sicuti decursu laboris videbitur.²

⁴¹ Cf. I, q. 79, a. 1, ad 3.

⁴² »... immaterialitas alicuius rei est ratio quod sit cognoscitiva; et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis. — I, q. 14, a. 1. — »Unde manifestum est quod ratio cognitionis ex opposito se habet ad rationem materialitatis... Et inter ipsos intellectus, tanto quilibet est perfectior, quanto immaterialior. — I, q. 84, a. 2. — Substantia ergo intelligens »ex immaterialitate habet virtutem ad intelligendum. — I, q. 79, a. 1, ad 4; cf. etiam I, q. 84, a. 2; De verit., q. 13, a. 3; q. 23, a. 1; De spir. creat., q. un., a. 1; De ente et essen., c. 2 et 3; In I Metaph., lec. 1, n. 6 etc.

⁴³ Cf. In I Sent., D. 3, q. 4, a. 1, ad 4.

⁴⁴ Cf. In II Sent., D. 3, q. 1, a. 2.

¹ Cf. P. Rousselot, op. cit., p. 56.

² Cf. v. g. In II Sent., D. 3, q. 1, a. 6, ad 2; In I Sent., D. 25, q. 1, a. 1, ad 4; De verit., q. 24, a. 3, ad 1: »Ratio quandoque sumitur large pro omni immateriali cognitione et sic ratio invenitur in Deo. — Ratio autem superior et ratio inferior, de quibus S. Doctor loquitur praesertim in Summa theol., I, q. 79, a. 9, in De verit., q. 15, a. 2 et in II Sent., D. 24, q. 2, a. 2, habent revera sensum rationis in sensu stricto, id est in quantum ratio opponitur intellectui, quod Angelicus clare affirmit in loco citato Summae Theol.: »Est enim actus rationis quasi quidam motus de uno in aliud perveniens; scimus autem in intellectu motum non esse. Ratio igitur superior et inferior nihil commune habent cum »intellectu« humano de quo nobis in hac dissertatione agendum est. Ideo tantummodo per transennam tangimus hanc quaestionem. Vide de hoc ubiorem explicationem apud J. Peghaire, *Intellectus et ratio selon S. Thomas d'Aquin*, Paris—Ottawa, 1936, pp. 135—154. Cf. etiam P. Rousselot, op. cit., p. 58, nota 2.

Etenim iam vidimus, quomodo, secundum doctrinam S. Thomae, nomen intellectus sumitur ab eius intima penetratione rerum, quarum quidditates statim, immediate, simplici intuitu videt seu intus legit. Non autem tantum essentias rerum, sed omnia, quae intellectus cognoscit, intuitiva et sine discursu cognoscit, ita ut v. g. R. Jolivet verba »intellectus« et »intellectivus« constanter vertit in voces gallicas »intuition« et »intuitif«.³

Operatio autem rationis valde distinguitur ab hac simplici operatione intellectus. Ratio enim discurrendo,⁴ ratiocinando et inquirendo ad veritatem pervenit; et ab hac sua operatione nomen autem rationis sumitur: »... intellectus et ratio denominantur ex diversis actibus. Intellectus enim nomen sumitur ab intima penetratione veritatis; nomen autem rationis ab inquisitione et discursu.«⁵ Similiter alio loco, postquam statuit quod intellectus simplici et absoluta cognitione interius in ipsa rei essentia veritatem quodammodo legit, sic proceditur: »ratio vero discursum quemdam designat quo ex uno in aliud cognoscendum anima humana pertingit vel pervenit.«⁶

Ergo »intellectus et ratio differunt quantum ad modum cognoscendi, quia scilicet intellectus cognoscit simplici intuitu, ratio vero discurrendo de uno in aliud.«⁷ Actus enim rationis est inquirere et conferre, intellectus vero quasi intus legere, id est simplici intuitu, immediate veritatem cognoscere. Intellectus ergo est facultas immediate cognoscens, ratio autem est inquisitiva et discursiva.⁸

Ex hucusque dictis patet, quod »intellectus non est idem quod ratio. Ratio enim importat quemdam discursum unius in aliud. Intellectus autem importat subitam apprehensionem aliquius rei.«⁹

³ Cf. L'Intuition Intellectuelle et le Problème de la Métaphysique, Paris, G. Beauchesne, 1934, (Arch. de Phil., vol. XI, cah. II.), pp. 37 et not. 2, 69, etc.

⁴ »... discursus quemdam motum nominat. Omnis autem motus est de uno priori in aliud posterius. Unde discursiva cognitio attenditur secundum quod ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem alterius posterius noti, quod prius erat ignotum. — I, q. 58, a. 3, ad 1.

⁵ II-II, q. 49, a. 5, ad 3.

⁶ De verit., q. 15, a. 1.

⁷ I, q. 59, a. 1, ad 1. — »Ratio ex principiis secundum viam inveniendi in conclusionem pervenit. — De verit., q. 11, a. 1, ad 12.

⁸ Cf. In II Sent., D. 9, q. 1, a. 8, ad 1.

⁹ In II Sent., D. 24, q. 3, a. 3, ad 2; cf. I, q. 58, a. 3; q. 79, a. 8.

Hunc actum discursivum et inquisitivum rationis ex una parte, et ex alia actum intellectus qui est simpliciter apprehensivus veritatis, comparat S. Doctor ad invicem sicut motum ad quietem, et sicut perfectum ad imperfectum. Intellectus enim immobiliter, sine motu, simplici intuitu cognoscit veritatem, ratio vero per motum ad hoc pertingit. »... ad id quod intellectus apprehendit, ratio per quemdam motum pertingit«.¹⁰ »Actus rationis qui est discurrere, et intellectus qui est simpliciter apprehendere veritatem, comparantur ad invicem ut generatio ad esse, et motus ad quietem: ... sed se habent quiescens et motum sicut perfectum et imperfectum«.¹¹

In intelligendo ergo non est motus sed maxima quies, non est potentia, imperfectio, sed actus, esse, perfectio, dum e contra in ratiocinando dicitur esse motus vel processus in quantum ex uno cognoscibili pervenitur in aliud, et ita in ratione generatur scientia ad quam prius in potentia erat, seu perficitur ratio quae prius imperfecta erat. Et ideo homo, qui rationem possidet, »cognitionem obumratam« habere dicitur et »cum discursu veritatis notitiam sumentem«, in angelo autem, qui intellectum purum habet, »suo modo est simplex notitia veritatis absque discursu et inquisitione«, id est perfecte et immobiliter. Intellectus ergo per se perfectionem dicit, ratio vero imperfectionem; et ex hac imperfectione rationis provenit eius ratiocinativa et inquisitiva cognitio.¹²

In suis commentariis in librum Boetii de Trinitate ulterius Angelicus distinguit rationem ab intellectu sicut multitudinem ab unitate. Intellectus enim unico actu seu simplici intuitu ad veritatem pervenit, dum ratio quasi multitudinem actuum elicere debet ut ad veritatem pertingat; et ideo S. Doctor in alio loco dicit, quod ratio discurrendo »circa diversa vagatur«.¹³ Ratio autem huius diversae operationis reperitur ex principio S. Doctoris: »Virtus inferior operatur per multa,

¹⁰ I—II, q. 5, a. 1, ad 1.

¹¹ De verit., q. 15, a. 1.

¹² Cf. De verit., q. 2, a. 2, ad 2; q. 24, a. 3; I C. Gent., c. 57. — ... quantum ad cognitivam angelus cognoscit in luce plena per intellectum deiformem, ut possit totum considerare sine inquisitione quod ad electionem alicuius rei pertinet, ut sic per ignorantiam non excusetur, sicut homo qui cognoscit quae agenda sunt deliberando per rationem, quae est quasi quaedam obumbratio intellectus. — In III Sent., D. 1, q. 1, a. 2, ad 2.

¹³ De verit., q. 5, a. 1, ad 5.

virtus superior operatur per unum tantum«.¹⁴ »Unde dicit Boetius quod similiter se habet ratio ad intellectum, sicut tempus ad aeternitatem et circulus ad centrum. Est enim rationis proprium circa multa diffundi et ex eis unam simplicem cognitionem colligere«, quia ratio quasi »diffusive« circumit veritatem et in hoc defectus eius consistit. »Intellectus autem e converso per prius unam et simplicem veritatem considerat et in illa totius multitudinis cognitionem capit: sicut Deus intelligendo suam essentiam omnia cognoscit«.¹⁵ Intellectus enim, v. g. angelicus, sine discursu in uno principio omnes conclusiones videt, ratio autem eas inquirere debet discurrendo vel ratiocinando: quia »proprie actus rationis est deducere principium in conclusionem«.¹⁶

Intellectus ergo, qui aeternitati comparatur, quasi totam simul et perfectam possessionem veritatis habet, immobiliter, sine tempore et sine continuo, ratio autem e converso, quae temporis similis est, nihil sine motu et continuo cognoscere potest. »Aeternitas enim comparatur ad tempus, sicut immobile ad mobile et ideo Boetius comparavit intellectum aeternitati, rationem vero temporis.¹⁷ »Ratio enim nihil aliud est nisi natura intellectualis obumbrata; unde inquirendo cognoscit et sub continuo et tempore quod intellectui statim et plena luce offeritur.«¹⁸

Postea autem videbimus quomodo cognitio intellectualis primorum principiorum in homine est quasi centrum ex quo ratio humana initium suum sumit, ut ad illum »circulum« cognitionis pervenire possit qui vitae humanae necessarius est, et ad quod terminatur tanquam ad regulam supremam omnis veritatis, examinando et revolvendo omnes conclusiones in prima principia per intellectum cognita.

Intellectus ergo et ratio inter se differunt secundum perfectum et imperfectum.¹⁹



¹⁴ II C. Gent., c. 100.

¹⁵ In Boet. de Trinit., q. 6, a. 1.

¹⁶ In II Sent., D. 24, q. 1, a. 3; cf. etiam ibidem, q. 2, a. 3; I-II, q. 92, a. 2.

¹⁷ I, q. 79, a. 8.

¹⁸ In I Sent., D. 3, q. 4, a. 1, ad 4; cf. etiam In III Sent., D. 14, q. 1, a. 3, sol. 2 et ad 3; Quodl., 4, a. 17.

¹⁹ Cf. II-II, q. 83, a. 10, ad 2; I C. Gent., c. 57.

Intellectum purum creatum, ut iam scimus, tantummodo angeli habent qui et »substantiae intellectuales« dicuntur. Ipsi enim, habentes plenitudinem intellectualis virtutis, statim a principio totam veritatem possident quae ad eorum naturam pertinet, et ideo intellectus eorum non est perfectibilis. »Et ideo angeli, qui perfecte possident, secundum modum suae naturae, cognitionem intelligibilis veritatis, non habent necesse procedere de uno ad aliud; sed simpliciter et absque discursu veritatem rerum apprehendunt.«²⁷ »Et inde est quod ipsi angeli intellectualues substantiae dicuntur.«²⁸

Homo autem habet rationem²⁹ et ideo anima humana rationalis dicitur.³⁰ »Homines autem ad intelligibilem veritatem cognoscendam perveniunt, procedendo de uno ad aliud...: et ideo rationales dicuntur. Patet ergo quod ratiocinari comparatur ad intelligere sicut moveri ad quiescere, vel acquirere ad habere: quorum unum est perfecti, aliud autem imperfecti.«³¹

Cognitio ergo humana valde distinguitur a cognitione angelica: haec enim statim a principio perfecta est, illa autem perfectibilis, quia homo »per quemdam motum et discursum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis« adipiscitur »dum scilicet ex uno cognito in aliud cognitum« procedit. Et ideo ratio humana intellectus inferior dicitur.³²

Sed in homine, praeter rationem, invenitur etiam aliqua participatio intellectualitatis purae, quae ei necessaria est, ut ad veritatem sibi debitam pervenire possit.

De qua participatione in capite sequenti.

(Continuabitur)

²⁷ I, q. 79, a. 8.

²⁸ De verit., q. 15, a. 1.

²⁹ »Rationale est differentia animalis, et Deo non convenit nec angelis. — In I Sent., D. 25, q. 1, a. 1, ad 4.

³⁰ Cf. De verit., q. 15, a. 1.

³¹ I, q. 79, a. 8; cf. etiam I, q. 58, a. 4.

³² Cf. I, q. 58, a. 3; q. 60, a. 2; In I Ethic., lec. 11, n. 132; I C. Gent., c. 57; De verit., q. 2, a. 1; ad 4; q. 11, a. 1 et ad 12. — »Rationis autem proprium est non statim apprehendere veritatem: et ideo ad hominem pertinet paulatim in cognitione veritatis proficere. Substantiae vero separatae, quae intellectualues dicuntur, statim absque inquisitione notitiam veritatis habent. — In I Ethic., lec. 11, n. 132.